experimur non omnes æqualiter sanctificare, neque omnium gratiam augere; ergo tota ratio hujus est, quia in hoc negotio cooperationem liberam hominis intervenire voluit, et ideo lex lata est *ut factores legis justificentur*, Roman. 2, ut exponit Augustinus, de Spirit. et litter., cap. 2. Quæ lex suo etiam modo in augmento justitiæ per sacramenta servatur, nam qui sacramentum recipit, vel legem implet, si sit adultus, vel in eo lex impletur, si sit parvus. Nihilominus tamen in conclusione particulam *regulariter* addidi, quia ex privilegio potest Deus et solet gratiam augere sine operibus vel sacramentis, ut fecit in Apostolis in die Pentecostes, et credibile est fecisse in Beata Virgine in eo momento in quo filium concepit, et fortasse in aliis, quia est dominus gratiæ suæ, et potest illam conferre quando et quomodo voluerit. Et nihilominus etiam in illis casibus, nunquam legimus dedisse hoc augmentum, nisi proprio aliquo consensu, vel cooperatione libera, ut Apostolis orantibus, Virgini consentienti, etc., licet augmentum fuerit majus quam talibus operibus deberetur. Objectiones hæreticorum nullæ propriæ hujus loci occurrunt, sed partim tractando de vera et inhærente justitia, et dispositionibus ad illam tractatæ sunt, partim in lib. 11 tractando de bonis operibus, et in duodecimo tractando de merito, solventur.

CAPUT II.

UTRUM HOC JUSTITIÆ AUGMENTUM PER INTENSIONEM HABITUUM FIAT, ET CONSEQUENTER QUOMODO FIAT?

1. *Ratio dubitandi. — Prima pars rationis dubitandi probatur.* — Ratio dubitandi esse potest, quia in his habitibus vel non est possibilis, vel non est necessaria intensio, et alioqui augmentum justitiæ et sanctitatis formaliter per exercitium ipsorum actuum, atque adeo per ipsamet opera potest sufficienter fieri; ergo non est necesse ut in intensione habituum consistat. Antecedens quoad singulas partes probatur. Prima de possibili, quia virtutes infusæ sunt potius potentiæ quam habitus; potentiæ autem non sunt qualitates intensibiles, ut in intellectu, et voluntate, et aliis similibus patet; unde fit ut gratia, quæ ad has virtutes sicut essentia ad suas potentias comparatur, non magis sit intensionis capax quam substantialis forma; tum etiam quia gratia cum suis habitibus remitti non potest, ut Theologi docent; ergo nec per intensionem augeri; est enim eadem ratio, eademque latitudo, seu eadem via per quam ascenditur et descenditur. Secunda pars, scilicet quod saltem non sit necessaria illa intensio, probatur, tum quia interdum homo fit sanctior sine intensione habitus, ut quando multiplicat actus virtutis remissos, per quos habitus virtutis non augetur, nam tunc ille propter plures virtutis actus a se factos melior et studiosior censetur; tum etiam quia homo multiplicando peccata est apud Deum injustior, licet non magis careat habituali justitia apud Deum, neque positive crescat in habituali injustitia apud Deum ipsum, quia vel nulla talis est propria, quia suppono talia esse peccata, ut non generent odium Dei, nec aliud simile vitium Deo directe contrarium, et, licet inducatur, fieri potest ut per multiplicata peccata æqualia non augeatur, sicut etiam fieri potest ut habitus vitiorum non intendantur, et nihilominus homo sit nequior per solam multiplicationem actuum; ergo similiter, etc.

2. *Tertia pars probatur.* — Atque hinc infertur tertia pars, quia si intensio habitus necessaria non est ad talem effectum, profecto opera ipsa formaliter illum conferunt, et directe hoc probari potest, tum quia ipsa opera sunt quædam justitia apud Deum, et ita in Scriptura vocantur, Psal. 118 : *Feci judicium et justitiam;* ergo per se justificant, ac subinde multiplicata magis ac magis justificabunt; tum etiam quia Scripturæ hoc tribuunt ipsis actibus, juxta illud Rom. 2 : *Factores legis justificabuntur;* ergo optime potest illis tribui formaliter. Et similiter, cum Concilium Tridentinum dicit opera justa esse causam augmenti justitiæ, optime potest intelligi de causa formali, sicut calor intensior dicitur causare magis calidum; ergo ad augmentum sanctitatis non oportet aliam causalitatem his operibus tribuere.

3. *Tria certa supponuntur et probantur. — Dubium.* — In hoc puncto, nullum Theologum invenio qui dixerit gratiam seu habitus infusos esse qualitates ita indivisibiles ut per intensionem augeri nequeant; nec etiam invenio qui absolute negaverit intervenire de facto hoc augmentum habituum, quando homo magis ac magis per opera sanctificatur; denique non invenio qui negaverit hoc augmentum, quacumque ratione aut via conferatur, sufficere ad constituendum hominem sanctiorem. Unde tria hæc omnino vera esse et certa suppono. Et quidem hoc ultimum

convincit exemplum parvulorum, qui post sanctificationem baptismi secundo sanctificantur per sacramentum confirmationis, nam dubitari non potest quin intrinsece et inhærenter sanctiores fiant; et non ratione suorum operum; ergo per augmentum internæ justitiæ qua sanctificati sunt; ergo illud augmentum sufficit ad majorem sanctificationem. Et hinc etiam sufficienter probatur primum, quia illud augmentum in parvulis non potest esse nisi in habitibus ipsis, et ipsi habitus non nisi per intensionem augeri possunt, ut est per se manifestum, maxime in gratia habituali quæ est in essentia animæ, et consequenter in virtutibus quæ illam comitantur, et cum illa proportionem servant, et augmentum extensivum in se non recipiunt, ut in superioribus tactum est, et latius, tractando de singulis, suis locis dicetur. Solum ergo circa secundum, videndum superest quam certum illud sit in secunda sanctificatione adultorum, et an illud augmentum inhærentis justitiæ habitualis sit prima causa formalis justos adultos magis sanctificans. Non enim desunt aliqui moderni qui utrumque in dubium revocent, dicentes adultos, seclusa majori sanctificatione per sacramenta, primo fieri justiores formaliter per ipsa opera justitiæ, et ideo non esse de fide certum quod per illa habitus augeantur, cum illud augmentum necessarium tunc non sit, ut sic operantes intrinsece ac formaliter justiores fiant.

4. *Assertio prima. — Justitia habitualis intrinsece et permanenter augetur per opera bona.—Probatur ex Conc. Trident.* — Nihilominus dico primo : quoties justus magis justificatur per opera sua, justitia habitualis intrinsece et in seipsa recipit augmentum permanens in homine justo, etiamsi ab operibus cesset. Hanc assertionem existimo omnino certam et ad doctrinam fidei pertinentem. Hoc præcipue probo ex Concilio Tridentino, nam alia quæ afferri possunt tergiversationem patiuntur; Concilium autem Tridentinum, quod antiquam doctrinam magis explicat et stabilit, nullam admittit. Quod imprimis probo ex verbis ejus, sess. 6, cap. 10, ubi de justis ait: *Euntes de virtute in virtutem, renovantur de die in diem;* dixerat autem renovationem justorum esse per infusionem justitiæ habitualis, seu, quod idem est, permanenter inhærentis, ut supra explicatum est; ergo eodem modo intelligit renovationem fieri per augmentum justitiæ. Unde in eodem sensu subdit: *Per observationem mandatorum in ipsa fide per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur.* Ipsa ergo justitia qua homo fit justus postea crescit; illa autem est justitia habitualis, ut supra ostensum est; ergo. Item de eadem justitia dicit, canon. 24, conservari et augeri per bona opera; sed non conservatur formaliter per opera, ut per extrinsecam denominationem ab eis sumptam; ergo neque ita augetur, sed intrinsece et in se per aliquam aliam causalitatem operum a fide viva procedentium. Præterea, canon. 32, dicit justum vere mereri augmentum gratiæ per bona opera; ergo illud augmentum est aliquid distinctum ab operibus, et a formali effectu eorum; nam homo non meretur formalem effectum sui operis, sed facit illum.

5. *Evasio. — Præcluditur.* — Respondent aliqui ibi sumi meritum lato modo, prout aliquis dicitur mereri formam aut beneficium aliquod per qualitatem aut perfectionem per quam est dispositus aut proportionatus ad talem effectum, ut Ecclesia dicit de Beata Virgine, ita fuisse præparatam ut Verbum divinum in utero suo concipere mereretur. Sed non est admittenda expositio, tum quia in doctrina tradenda cum omni proprietate Concilia loquuntur; tum etiam quia Concilium addidit *vere merentur*, quasi ad excludendam improprietatem; tum denique quia ita dicit mereri justos augmentum gratiæ sicut augmentum gloriæ; sed hoc secundum necessario est intelligendum de proprio augmento, et de proprio merito; ergo et primum.

6. *Corroboratur. — Theologica congruentia.* — Tandem possumus hoc modo confirmare hanc veritatem, quia non minus intrinsece ac permanenter in sanctitate perficiuntur justi per bona opera sua quam per sacramentorum susceptionem; sed per sacramenta recepta a justis augetur justitia, quoad intrinsecum et permanens augmentum ipsius habitualis justitiæ, ut paulo antea dictum et probatum est; ergo idem est dicendum de priori augmento per opera. Consequentia clara est, et minor similiter, quia proprium augmentum gratiæ, quod sacramentum facit, non potest in operibus hominis consistere, cum sit ultra opera, nec ex opere operantis, neque ipsum sacramentum est opus hominis recipientis illud, sed Dei. Unde illud augmentum et in operante et in non operante fieri potest, ut in parvulo et in adulto interdum dormiente, vel distracto, et nihil actu operante; et tamen semper est ejusdem rationis, sicut est ab eadem

causa. Major autem seu æquiparatio utriusque augmenti adeo est clara apud Theologos, ut probationem non requirat, nam gratia sanctificans, sive primo, sive secundo ex opere operantis obtenta, vel per sacramentum ex opere operato, ejusdem rationis est, ut in 4, distinct. 1, et 3 p., quæst. 62, art. 2, communiter Theologi tradunt, et ibi in 3 tomo tertiæ partis nos explicuimus et probavimus. Quia Concilia cum loquuntur de gratia et justificatione, quæ per sacramenta confertur, non loquuntur æquivoce, sed univoce, de gratia, inquam, qua homines vel ante sacramenta justificari solebant, vel nunc justificantur per sacramentum in voto, antequam re ipsa suscipiant, et eadem ratio est de augmento. Imo a fortiori videtur probari, nam augmentum justitiæ, quod per sacramenta datur ex opere operato, est ex quadam Christi liberalitate et abundantia ad supplendam hominum fragilitatem, et bonorum operum inopiam vel paucitatem; ergo tale est illud augmentum, quale futurum esset per opera perfecta, si fierent; tale (inquam) quoad suam intrinsecam, permanentem, et habitualem perfectionem; ergo hujusmodi etiam est augmentum justitiæ quod justi per sancta opera consequuntur. Denique ratio philosophica, et Theologica congruentia eadem in præsenti est quæ in superiori capite tacta fuit, nimirum, quod hujusmodi augmentum non habet repugnantiam, et est magis consentaneum ipsi gratiæ et justitiæ. Quia sicut hæc habet natura sua constituere justum per veram et intrinsecam denominationem, ita, et magis justum per similem informationem; nam, sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis; ergo semper illi datur intrinsecum augmentum, ut possit hoc modo magis justificare. Confirmatur ac declaratur, quia hoc modo lumen gloriæ et visio beata est inæqualis perfectionis intrinsecæ in diversis beatis; ergo etiam gratia recipit in diversis justis eamdem inæqualitatem, quam non potest habere nisi per prædictum augmentum; ergo idem habet in eodem justo, quando per opera magis justificatur.

7. *Assertio* 2: *Augmentum gratiæ fit per intensionem physicam ipsarum qualitatum.* — Hinc dico secundo hoc augmentum gratiæ fieri per intensionem physicam ipsarum qualitatum. Hæc assertio habet certitudinem Theologicam, addendo priori assertioni physicum principium, quod qualitates et habitus recipiunt intrinsecum augmentum et perfectionem per intensionem; et ita in hac etiam assertione conveniunt Theologi quos in cap. 3 referam. Nec disputamus modo an hæc intensio sit per additionem vel per radicationem, vel utroque modo; nam hoc non spectat ad doctrinam Theologicam, sed ita potest unusquisque de intensione istarum qualitatum opinari, sicut aliarum. Item non disputo nunc an gratia augeatur per omnes et singulos actus bonos, vel tantum per aliquos speciales, hoc enim postea videbimus. Suppono tamen, quoties magis sanctificat, magis in seipsa augeri, ut in sequenti assertione declarabo, et hanc internam perfectionem dari per intensionem veram et realem ipsorum habituum, quia realis perfectio in eis non potest aliter fieri. Exemplum etiam de visione beata et lumine gloriæ hanc assertionem confirmat.

8. *Assertio tertia.* — *Justitia inhærens non augetur formaliter per opera quæ producit, sed alio morali modo.* — *Prima ratio pro assertione.* — Dico tertio: vera sanctitas et justitia inhærens non augetur formaliter per opera ab illa procedentia, sed alio morali modo. Prior pars negans imprimis probanda est, supponendo illam formalem sanctificationem per opera, non esse necessariam ut homo sanctior et justior fiat, quia ostensum est augmentum habitus ad hoc sufficere, ut in augmento justitiæ quod per Sacramenta confertur ostensum est. Et ratio est clara, quia habitus est forma sanctificans; ergo habitus perfectior magis etiam sanctificabit, quia, aucta forma, ejus formalis effectus augetur, ut in calore et cæteris qualitatibus quæ intendi possunt manifestum est. Hinc ergo a contrario argumentamur, et probamus conclusionem, nam prima sanctificatio non fit per primum actum formaliter, ut in superioribus ostensum est; ergo neque secunda sanctificatio seu augmentum justitiæ fit formaliter per secundum actum, et consequenter neque per tertium, vel quoslibet subsequentes. Probatur consequentia, quia effectus formalis non augetur nisi aucta forma quæ primitus dare potuit illum formalem effectum; habitus autem non augetur formaliter per actus, ut per se notum est; ergo neque effectus formalis ejus. Dices primum actum non potuisse sanctificare formaliter, quia impediebatur a peccato, secundum autem non impediri, sed potius conjungi habitui, et ex utroque simul coalescere unam formam perfectius sanctificantem, etiamsi fingamus habitum non augeri per actum, ut de actibus remissis aliqui opinantur. Respondeo falsum

esse quod in evasione sumitur, tum quia etiam in justificatione, quæ non est a peccato tanquam a termino a quo, sed tantum a negatione justitiæ præexistente vel præintellecta, ut fuit in Angelis et primo homine, actus primus non potuit esse forma justificans, sed tantum dispositio, ut supra etiam dictum est; tum etiam quia, si actus primus esset de se forma justificans, non posset a peccato impediri, sed illud formaliter expelleret, saltem secundum connaturalem ordinem. Quapropter, licet actus secundus conjungatur habitui, non potest cum illo constituere unam formam magis sanctificantem, quia sunt formæ diversarum rationum, et actus nunquam habet modum permanentem, neque alias conditiones ad formaliter sanctificandum requisitas.

9. *Secunda ratio.* — *Confirmatur primo.* — Secundo probatur assertio, quia secunda sanctificatio debet esse proportionata primæ; ergo sicut prima fit per formam permanentem et habitualem, ita et secunda. Antecedens patet, quia, sicut homo ita fit justus ut, quamdiu justus durat, habeat inhærentem justitiam a qua intrinsece denominetur justus, et non tantum extrinsece ab aliquo actu transeunte, ita, etiam cum magis justus efficitur, debet fieri per formam intrinsecam permanentem in ipso, quæ ipsum intrinsece afficiat ac denominet justiorem, etiamsi ab operatione cesset, nimirum formaliter illi conferendo majorem participationem divinæ naturæ, et majorem vim intrinsecam ad connaturaliter operandum in supernaturali ordine; ergo, si actus fierent a præexistente justitia, et non relinquerent in homine hanc internam perfectionem et corroborationem virtutis, non facerent illum formaliter sanctiorem aut justiorem, quia ipsi actus per se ac formaliter non conferunt hanc internam virtutem, aut majorem divinæ naturæ participationem. Et confirmatur, quia si, cessante actu, homo est vere sanctior et justior, Deus etiam magis habitat in illo, juxta doctrinam Augustini, epistol. 58 ad Dardanum; ubi autem Deus magis habitat, magis operatur, quia non dicitur habitare nisi ratione alicujus peculiaris effectus; hæc autem inhabitatio est permanens, et ideo dicitur habitare in justis, etiamsi in eis aliquid non operetur, inspirando et adjuvando; ergo ubi magis habitat, debet etiam majorem effectum habitualem ac permanentem operari. Nam, sicut in duobus parvulis non potest intelligi quod Deus magis in uno quam in alio habitet, nisi perfectiorem gratiam habitualem in altero efficiat, ita nec in duobus adultis nihil actu operantibus potest inæqualiter inhabitare, nisi majorem gratiam in uno efficiat quam in alio. Nec enim satis esse possunt opera præcedentia, nam ratione illorum præcise ac formaliter non dicitur Deus in homine habitare, præcipue quando illa jam non sunt.

10. *Confirmatur secundo Tridentino.* — Tandem apud me hanc doctrinam valde confirmant definitiones Concilii Tridentini supra ponderatæ, tam de prima justificatione quam de augmento justitiæ. Et præsertim urgeo argumentum ex illa definitione sumptum, quod actus merentur gratiæ augmentum; nam, si merentur, profecto formaliter illud non conferunt, nam præmium meriti est aliquid distinctum ab opere meritorio, et a formali effectu ejus. Quis enim dicat mereri me per actum dilectionis ut constituar diligens Deum? Nam quod ego mereor apud Deum, ab ipso conferendum spero, ultra meritum; at quod per actum diligendi constituar diligens, non spero a Deo ultra ipsum actum, nam dando actum facit me diligentem. Unde, sicut in superioribus ex eo quod Concilium dicit contritionem esse dispositionem ad justificationem ac remissionem peccati, recte supra inferebamus non justificare nec excludere peccatum formaliter, ita vel majori vel æquali ratione, ex eo quod docet per opera augeri justitiam meritorie, inferimus non augeri formaliter.

11. *Instantia.* — *Dissolvitur.* — Sed instant, quia ad institutum Concilii non pertinebat definire justitiam augeri per intensionem habituum, vel per additionem alicujus intrinsecæ perfectionis permanentis, quia solum intendebat damnare hæreticos hujus temporis, dicentes homines non justificari suis operibus, sed opera esse tantum signa vel fructus justitiæ, et ad hoc damnandum, necessarium non erat definire illum modum incrementi justitiæ per augmentum habituum, sed satis erat absolute docere hominem operibus suis crescere in sanctitate. Respondeo imprimis nos non asserere Concilium hoc formaliter et expresse definivisse, alias contraria sententia esset hæretica, quod non asserimus. Sed dicimus ea dogmata Concilium tradidisse, quæ sine hoc de interno incremento habituum, et formali sanctificatione secunda per inhærentem habitualem perfectionem recte subsistere non possint. Item dicimus, ad refellendas hæreses

contra justitiam veram, et inhærentem, ac permanentem, et contra justitiam et meritum, necessarium fuisse Concilio talibus uti verbis quæ virtute hanc veritatem contineant de justificatione formali per habitus, etiam quoad incrementum sanctitatis, et hoc modo credimus doctrinam, de hoc incremento habitualis sanctitatis a nobis datam, certitudinem accipere ex doctrina Concilii. Atque hoc ex solutionibus argumentorum magis confirmabitur.

12. *Dubium. — Deciditur. — Modi morales quibus habitus moraliter intenduntur.* — Statim vero insurgit interrogatio, si actus per se ac formaliter non reddunt hominem sanctiorem, sed augendo habitum, quomodo hoc augmentum conferant. Sed hoc dubium aliqua ex parte in superiori lib., cap. 4, definitum est; ibi enim ostendimus actus supernaturales non augere habitus physice, et inde concluditur augere illos moraliter. Modi autem morales possunt esse plures, scilicet, vel merendo vel impetrando tale augmentum, seu per opera se ad illud disponendo. Primus modus verissimus et certissimus est, traditurque a Concilio Tridentino, loco citato, sed de illo lib. 12 est disputandum. De aliis vero modis est varietas opinionum, nam quidam censent dictum modum meriti de condigno esse unicum, sufficientem ac necessarium; alii vero putant primum modum sine secundo non sufficere, saltem pro statu viæ, quia actus remissi merentur de condigno, et tamen non augent habitum ex defectu dispositionis. Sed hoc fundamentum falsum est, ut cap. 3 dicam. Unde dico, ubi intercedit meritum de condigno, illud sufficere et in se includere efficacem impetrationem et sufficientem dispositionem. Nam si in prima justificatione melior conversio disponit ad perfectiorem justificationem, et illam efficaciter impetrat, multo magis novum meritum de condigno sufficienter disponet, et efficaciter impetrabit justitiæ incrementum. Sed hoc latius in dicto capite probandum est.

13. *Meritum de condigno non semper necessarium ad augmentum gratiæ est.*—Addo vero illum modum meriti de condigno non esse semper necessarium; quamvis enim in homine justificato augmentum justitiæ nunquam fiat sine tali merito, in homine peccatore quoad habitus fidei vel spei inveniri posse videtur. In homine enim justo ideo non fit augmentum justitiæ sine merito de condigno, quia habitus infusus non augetur nisi per actus supernaturales et infusos, nam actus naturales proportionati non sunt; omnes autem actus supernaturales in homine justo meritorii sunt de condigno, ut infra videbimus, et ideo in homine justo non potest esse actus proportionatus ad augendam justitiam quin sit de condigno meritorius. At vero in homine fideli et peccatore videtur posse inveniri augmentum fidei vel spei per actus earum non meritorios de condigno, sed ad summum de congruo, seu disponendo et consequenter impetrando tale augmentum. Diximus enim supra per actus fidei tempore antecedentes contritionem infundi habitum fidei, quia, licet talis actus non sit de condigno meritorius, est impetratorius et sufficienter disponit ad suum habitum. Ergo majori ratione, si peccator fidelis per habitum fidei intensiorem actum fidei eliciat, ut cum Dei auxilio sine ulla dubitatione potest, per illum se sufficienter disponet ut eficaciter impetret fidei augmentum, licet illud de condigno non mereatur, sed ad summum de congruo. Probatur consequentia, tum quia est eadem proportio; tum etiam quia, sicut in naturalibus actus intensior effective intendit habitum, ita in supernaturalibus actus intensior disponit, et cum per se efficere non possit, ad Deum spectat supplere, et in homine, juxta dispositionem ejus, operari; tum etiam quia, si a principio ille homo intensius credidisset quam alius, intensiorem etiam habitum Deus illi infudisset, quia distribuit juxta dispositionem recipientis; ergo idem erit si postea dispositio crescat.

14. *Respondetur ad primam rationem dubitandi.* — Superest ut ad rationem dubitandi in principio positam respondeamus. Habebat autem tres partes : prima est de possibilitate hujus augmenti, quam jam satis ostendimus. Et ad primam probationem in contrarium, respondetur virtutes infusas, licet aliquid efficacitatis potentiarum habeant, simpliciter ac vere esse habitus superadditos potentiis quas elevant ad actus sui ordinis connaturaliter operandos, et quia in ipsis actibus potest inveniri inæqualitas, etiam habitum posse in se recipere majorem vel minorem perfectionem, qua potentiam elevet ad actus magis vel minus perfectos, et ideo posse esse habitus operativos magis vel minus intensos. Unde etiam fit ut gratia ejusdem conditionis sit, quia est accidentalis participatio divinæ naturæ, quæ magis vel minus participari potest. Altera probatio petit dubium de diminutione gratiæ et an remitti possit; sed, quia remissio solet esse via ad corruptionem, de hoc puncto dicemus in libr. 11. Nunc breviter respondeo, argumentum probare in gratia ipsa non deesse latitudinem graduum, ratione cujus possit successive amitti, ac prius minui quam omnino pereat; nihilominus tamen, ex defectu causarum corrumpentium, nullam inveniri quæ illam secundum legem ordinariam minuat, ut in citato loco latius declarabimus, et ostendemus.

15. *Ad secundam. — In peccato datur conversio et aversio. — Macula peccati quid?* — Secunda pars objectionis erat contra necessitatem hujus augmenti seu intensionis. Ad quam dicimus, ad perfectum modum internæ ac permanentis sanctificationis majoris necessarium esse hoc augmentum, ut ostensum est. Et ad priorem improbationem sumptam ex actibus remissis, negatur assumptum, nam in capite sequenti ostendemus per illos justitiam habitualem intrinsece augeri. Addo, etiam juxta opinionem negantem tale augmentum, negandum consequenter esse talia opera tunc magis sanctificare hominem, cum fiunt, esto faciant illum dignum majorem sanctitatem suo tempore recipiendi, et ad illam reddant acceptum, de quo plura statim. Ad alteram improbationem de peccatis, respondeo in peccato esse duo: unum est conversio ad commutabile bonum, quæ ad aliquod speciale vitium pertinet; et aversio ab incommutabili bono, charitati Dei contraria. Ratione prioris conversionis peccatum inducit in homine positivum habitum pravum, qui vitium proprie nominatur; ratione posterioris non inducit aliquid positivum, sed maculam quæ proprie constituit hominem peccatorem et Dei inimicum. Dico ergo hominem peccando non constitui vitiosum, proprie loquendo, sine aliquo habitu positivo, qui, ut dixi, proprie vitium appellatur; unde, si quis semel peccat, ita ut habitum non acquirat, non posse dici vitiosum, licet peccator vere sit, quamdiu Deo non reconciliatur. Unde etiam assero, etiamsi homo acquisierit habitum vitiosum peccando, nisi frequentibus actibus illum habitum augeat, et consuetudine acquirat facilitatem et pronitatem ad peccandum, non posse dici, factum esse vitiosiorem, sed solum sæpius tale vitium exercuisse, et dignum esse majori supplicio. Quia vero ex tali consuetudine semper acquiritur facilitas aliqua peccandi, ideo fit homo per talem actum magis vitiosus. Sicut etiam censeo hominem bene moraliter operantem intra latitudinem virtutum acquisitarum non fieri justiorem vel virtuosiorem, nisi per actuum frequentiam acquirat aliquam perfectionem habitualem, quæ vel ad intensiores et meliores actus, vel ad æquales majori facilitate præstandos virtutem præbeat. Nam studiosus dicitur qui faciliter et delectabiliter honeste operatur, unde non fit studiosior nisi in hac ipsa habituali dispositione crescat; sed ratione actuum dici poterit extensive justiorem, vel fortiorem in operibus fuisse, et esse majori laude vel præmio dignum. Idem ergo est cum proportione in vitiis. At vero macula peccati, per quam constituitur homo peccator apud Deum in habitu, non est quid positivum, sed voluntaria privatio habitualis justitiæ, et hæc vere manet in homine, transacto peccato; et multiplicando peccata, etiam illa augetur eo modo quo habitualis et totalis privatio augeri potest, vel quia plura peccata plures maculas inducunt, ut dicit D. Thomas 1. 2, quæst. 86, art. 1, ad 3, vel quia eadem macula propter respectum ad plura peccata fit moralis privatio majoris et perfectioris justitiæ quam homo habere posset et deberet, si in illis actibus recte se gereret. Sanctitas vero aut justitia divina altiori modo confert homini et esse gratum Deo per intrinsecam formam supernaturalem, et esse aptum intrinsece ad opera supernaturalis justitiæ per virtutes infusas, et ideo nisi in his donis interius crescat, non erit proprie et intrinsece sanctior aut justior, licet opera multiplicet propter quæ majorem laudem aut præmium mereatur.

16. *Ad tertiam. — Quo pacto opus justitiæ dicatur justitia.* — Ad argumenta autem in tertio membro posita, quæ hanc partem directe impugnant, respondeo ad primum, solum fundari in æquivocatione vocis, nam opus justitiæ dicitur quædam justitia, non tanquam dans facultatem juste operandi, sed quia servat æqualitatem seu mediocritatem quam virtus postulat; justitia autem sic sumpta non justificat formaliter, sed exercet justitiam, si proprie sit opus justitiæ, vel disponit ad illam, si eam præcedat; justus autem absolute dicitur, non quia justitiam actu operatur, sed quia recte est dispositus ad juste operandum; et cum eadem proportione dicitur justior; hoc autem non habet formaliter ab actu, sed potest habere ab illo dispositive, vel aliquo modo effective, ut supra declaratum est. Ad secundum ex verbis Pauli : *Factores legis justificabuntur*, respondeo dupliciter posse accipi verbum *justificabuntur*, scilicet, vel de prima, vel de secunda

justificatione. Priori modo intellexit Augustinus, libro de Spirit. et litter., capite 26, et ait sic esse intelligendum, *ut sciamus eos non aliter esse observatores legis, nisi justificentur, ut non justificatio factoribus accedat, sed factores legis justificatio præcedat*. Posteriori modo intelligitur frequentius, et sic accipiendum est de factoribus legis non suis viribus, sed ex fide et auxilio gratiæ ; et, si referatur ad primam justificationem, intelligitur dispositive; si ad secundam, meritorie; et ita etiam videtur intellexisse Augustinus, in lib. 83 Quæstion., quæst. 76, et aliis locis, unde inde non probatur homines fieri justiores formaliter suis operibus. De Concilio autem Tridentino satis dictum est.

CAPUT III.

UTRUM GRATIA VIÆ PER OMNIA ET SINGULA BONA OPERA JUSTORUM AUGEATUR ?

1. *Status quæstionis.—Prima suppositio, per bona opera naturalis ordinis justitiam non augeri.*—Hæc questio valde connexa est cum tractatu de Merito, eo quod augmentum ipsum gratiæ est unum ex præcipuis præmiis meriti justorum ; nihilominus tamen non potest omnino prætermitti, quia ejus resolutio propria est hujus loci, et ad cætera, quæ de hoc augmento tractanda supersunt, necessaria. Curabimus autem quæ sunt utriusque loci propria ita distinguere, ut nec materias confundamus, nec eadem inutiliter repetamus. Supponimus ergo primo sermonem esse de bonis operibus ex fide et auxilio divinæ gratiæ procedentibus, quæ per antonomasiam vocantur a Patribus et Theologis opera bona seu opera pietatis. Nam inferiora opera bona ordinis naturalis, per se ac præcise sumpta, etiamsi ab homine justo fiant, gratiam, vel charitatem seu justitiam non augent, tum quia non sunt meritoria de condigno, ut nunc suppono ; tum etiam quia, cum nullo modo supernaturalia sint, non sunt proportionata ad augendam gratiam, quæ forma supernaturalis est. Limito autem sermonem ad solam gratiam, ut a charitate distinguitur, nam de charitate et aliis virtutibus infusis dicam capite sequenti. Item limito quæstionem ad gratiam viæ, ut in titulo proposui, quia nunc de justitia tantum viatorum tractamus; an vero post viam, seu in termino extrinseco ejus, vel in ingressu beatitudinis aliquod augmentum intensivum gratiæ consummatæ fiat, vel ex liberalitate Dei, vel propter opera hujus vitæ, alia questio est, quæ in materia de Beatitudine tractatur ; aliquid vero in discursu hujus capitis attingemus, et plura in materia de Merito in lib. 12.

2. *Secunda suppositio, gratiam non augeri, nisi per opera meritoria de condigno.*—Secundo, suppono nunquam augeri gratiam per opera, nisi absolute et simpliciter sint meritoria de condigno apud Deum. Itaque si aliquod hujusmodi opus invenitur in homine justo, quod non sit meritorium de condigno apud Deum, per illud sine ulla dubitatione non augebitur gratia. Ratio est, quia augmentum justitiæ seu gratiæ nunquam fit nisi ex merito proprio hominis justi apud Deum (loquimur enim, ut in principio supposui, de lege ordinaria, non de privilegiis specialibus, et ex opere operantis, non de operato); ergo, si opus non sit meritorium de condigno, non augebit gratiam. Consequentia clara est. Antecedens autem patet, quia justus non crescit in gratia nisi ex operibus, ut testificatur Jacob., cap. 2, et exponit Concilium Tridentinum, dicto cap. 10; sed illa opera sunt hominis justi, ut supponitur, et debent esse proportionata tali augmento ut illud obtineant ; ergo, si talia sint, etiam merebuntur illud de condigno ; ergo e contrario, si non merentur tale augmentum, nec conferent illud. Et hoc satis significavit Concilium Tridentinum, dicta sess. 6, nam, cum cap. 10 docuisset justos crescere in gratia per bona opera, nulla facta mentione meriti, quia nondum doctrinam de illo tradiderat, nihilominus, in can. 34, definit mereri justos hoc augmentum per bona opera, utique per illa per quæ illud obtinent. Itaque certum sit justorum gratiam non augeri nisi per opera meritoria de condigno. Non est autem æque certum an convertens propositio sit æque vera, scilicet, augeri gratiam per omnia opera justorum meritoria de condigno, nam aliqui eam negant, quod est unum ex præcipuis punctis in hoc capite disputandis.

3. *Tertia suppositio.*—Tertio, suppono actus a justo elicitos ex habitu charitatis, si sint intensiores quam habitus gratiæ, augmentum illius statim consequi, atque ita gratiam augere. Hoc est certum et extra controversiam, ut videbimus; et ratio est, quia illi actus citra dubium sunt maxime meritorii de condigno ; ergo merentur hoc augmentum ; et alioqui sunt maxime proportionati de se ad illud præstandum, et quantum in

ipsis est disponunt subjectum ad illud recipiendum ; ergo per tales actus statim gratia augetur. De cæteris autem actibus tractanda est quæstio, potestque ad duo membra reduci. Unum est de actibus elicitis a charitatis habitu, qui non sunt intensiores illo, quos brevitatis causa remissos vocabimus, sive sint æquales, sive inferiores. Aliud est de actibus cæterarum virtutum a charitate distinctarum; et de utroque membro dicendum est; sed claritatis gratia prius de actibus remissis charitatis dicemus, postea ad cætera opera facile doctrinam applicabimus.

4. *Prima opinio negans gratiam augeri per actus remissos charitatis.*—Fuit ergo aliquorum opinio, per actus remissos charitatis non consequi justum gratiæ augmentum. Duobus autem modis hæc opinio fundatur et asseritur. Unde potest in duas opiniones distingui. Prior est, quod per tales actus non augetur gratia, quia simpliciter non merentur de condigno tale augmentum. Ita sentit Altisiodor., libr. 3 Summ., tract. 16, cap. unic., quæst. 3 et 5. Favet D. Thomas in 1, distinct. 17, quæst. 2, artic. 3, ad 2 et 5, et Durandus ibi, quæst. 8, num. 7; videtur tamen loqui de solis actibus minus intentis, nam de æqualibus id non dicit, nec ratio ejus in illis locum habet, ut videbimus ; et Bonaventura in 2, distinct. 40, a. 2. q. 3, ubi in corpore loquitur de merito majoris gloriæ, dicitque majorem charitatem vel meliorem voluntatem mereri augmentum gloriæ essentialis, reliqua vero dicit solum conferre ad majorem gloriam, vel disponendo, vel impedimenta removendo, et in solut. ad 3 generaliter dicit per novum actum æqualem priori tantum mereri hominem, sicut per primum, non tamen novum, sed idem quod prius novo titulo. Et hanc sententiam ex modernis defendit Dominicus Bannez 2. 2, quæst. 24, artic. 2, et in Relectione speciali de augmento charitatis, ubi quoad modum loquendi aliquo modo limitavit sententiam; sed res eadem est, ut infra dicam. Fundamentum hujus sententiæ apud Durandum est tantum moralis congruentia, quia non meretur accipere augmentum donorum, qui tepide utitur acceptis; sed qui recipit intensum habitum et remisse operatur, non utitur habitu debito modo, cum actus non proportionetur habitui; ergo. Quæ congruentia, qualiscumque illa sit, non procedit de actibus æqualibus habitui, sed de remissioribus, nam æquales servant proportionem, et satis debito modo operatur, qui secundum totam latitudinem sui habitus æqualiter operatur. Alii utuntur fundamento magis physico quam theologico, quia, ut actus mereatur augmentum habitus, debet esse talis ut sit proportionatus ad augendum illum ; sed in ordine naturali actus remissus non est proportionatus ad augendum habitum intensum, ut ex Philosophia supponunt ; ergo neque in ordine supernaturali actus remissus est proportionatus ad merendum augmentum habitus. Neque refert quod actus supernaturales non augeant physice habitus suos, quia saltem debent servare ad meritum eam proportionem quam habere deberent si essent causæ physicæ augmenti. His addi solent alia argumenta ab inconvenienti sumpta, quæ postea proponemus.

5. *Secunda opinio, per tales actus mereri gratiam, non tamen augeri absque alio adminiculo. — Primus modus explicandi hanc opinionem.* — Altera opinio est justum per actus remissos mereri quidem de condigno augmentum gratiæ, nihilominus tamen gratiam viæ vel nunquam augeri per tales actus, vel saltem non per illos solos sine adminiculo alicujus actus intensioris habitu. Itaque defensores hujus sententiæ in duobus conveniunt. Primum est, hos actus mereri hoc augmentum. Secundum est, per illos solos non dari. In modo autem explicandi quando tale augmentum detur, invenio diversitatem quam ad quatuor modos dicendi reduco. Primus est, quod illud augmentum revera nunquam datur vel in via, vel in patria quoad novos gradus gratiæ vel gloriæ, sed solum quoad rationem præmii, quia eadem gloria datur etiam propter nova merita, et ita crescit in ratione præmii, quia pluribus titulis datur, et ita est præmium magis honorificum, ut sic dicam. Hæc fuit opinio Bannez, in Relect., et loquitur clarius de gloria; est autem eadem ratio de gratia, nisi quoad gratiam velit negare meritum ejus per actus remissos, sicut prius fecerat.

6. *Secundus modus explicandi.* — Secundus modus dicendi est, hoc augmentum actuum remissorum, quod non statim datur, dari postea in via, si homo se disponat per actum intensiorem; quod si homo nunquam se disponit in via, amittere illud augmentum, neque illud in patria obtinere. Hæc opinio solet tribui Conrado in 1. 2, quæst. 114, artic. 8, qui eam indicat, et refert Capreolum in 1, distinct. 17, quæst. 2, art. 3. Citatur etiam Capreolus in 4, distinct. 14, quæst. 2, art. 3, in